

B. h. E. 146.
h. 78, 17.

X 1880 745


De pure papali Principiis
Evangeliconum




S A M U E L
STRYKIUS, D.
SERENISS. ET POTENTISS.
ELECTORUM SAXONICI ET BRANDENB.
CONSILIARIUS, ET FACULTATIS
JURIDICÆ IN UNIVERSITATE
WITTEBERGENSI
ORDINARIUS,
L. B. S. P. D.

WITTEBERGÆ,
Expressit CHRISTIANUS FINCELius,
ANNO CLC XC.

RL. a





Mplissimus ille Jurium complexus est, qvi sub augusto Superioritatis Territorialis titulo delitescit : Ambitu qvippe suo nihil ferè intatum relinquit, qvod alioquin proprium est ipsius Majestatis. Splendissima illa Jura, si unicum saltem excepero, qvibus se diffundit ubiq; Majestas Imperatoria , adeò propria Principibus Imperii vi illius juris eminentissimi facta, ut receptissimo publici juris axiomate , *quisq; Princeps sit Imperator in suo territorio.* Non licebit in præsens excurrere, & in fundamenta famosi hujus asserti inquirere, qvippe anticipatum hoc ab aliis Thema est , & applausum adeò communi Dd. calculo meruit, ut non saltem eandem Principibus in territorio tribuant potestatem , sed ferè adhuc majorem , qvàm Imperatori in Imperio universo ; Utut non diffitear , Italis Doctoribus originem axiomatis præcipue deberi, qvos minus providè secuti Germaniæ Jcti , eo etiam tempore, ubi nulla unquam in publicis Imperii Constitutionibus illius Superioritatis facta mentio : Postea tamen Imperii legibus fundamentum Reip. concernentibus , satis stabilitum illud thema est . Quid commodi vel incommodi hâc ratione immineat Imperio Romano-Germanico , periculosa disquisitionis res est . Sanè , qvod qvibusdam hucusq; visum est , paci magis qvàm bello aptum esse Statum Imperii Romano-Germanici præsentem , utinam experientia non comprobasset : Qvamvis si suus Imperii legibus ubique constaret vigor, nec perniciosum illud Religionis dissidium,

magno cum Imperii damno, perpetuâ diffidentiâ animos
Statuum in diversa raperet, & inter foederatos etiam felices
successuum progressus sisteret, bello & Pace feliciter sta-
re Res Germana valeret. Hoc verò, qvod nostræ in præsens
intentioni respondet, majoris dubii assertum videtur, qvod
ad imitationem superioris formarunt Doctores: *Quemlibet*
Principem esse Papam in suo territorio: Qvâ animi commo-
tione hoc audiant illi, qvi Pontificiorum seqvuntur castra,
operae pretium non est, ut hîc exprimam. Ipsi etiam, qvi
Evangelii luce restitutâ, jugo Pontificis valedixerunt, absti-
nendum illâ loqvendi formulâ contendunt, ne profligato
Antichristo Ecclesiastico, reducatur Politicus, & *Kaiou egnatia*
pari cum Ecclesiæ damno stabiliatur. Certè inter Reges &
Principes Pontificum sacris litantes, vix qvisqvam, se in
Regno suo Papam esse, verbis asseruit: Ipse Christianissi-
mus, ut vocari magis, qvam esse cupit, Galliæ Rex hactenus
Ecclesiæ Gallicanæ libertatem à cœco Pontificis obseqvio
variis vindicavit modis, & singulari REGALIAE Jure mul-
tùm illius eminentiæ detraxit; se tamen Papam hucusqve
non venditavit apertè, forsan ne Primogeniti Ecclesiæ Filii
characterem amitteret. Cliviæ autem Duces primi omnium
sibi vindicasse creduntur hanc eminentiam, ut illo etiam
tempore, ubi adhuc inconcussa stabat autoritas Pontificia,
asserere non dubitarint, *Een Hartog van Cleve is Paus in*
synem Lande. Successu temporis, ubi Religionis libertas
Imperii LL. stabilita, & Pontificiorum sacra in variis provin-
ciis exulare jussa, crevit omnino auctoritas Principum Im-
perii circa negotia Ecclesiastica. Abstinuerunt tamen se lu-
bentissimè illo charactere, qvod qvisqve Princeps Papa sit
in suo territorio: Ex alio enim fundamento illa sacrorum
jura Principibus asseri debere, qvam ex autoritate Papali, ju-
stè censuerunt illi, qvi inter Evangelicos Principum circa
sacra potestatem adstruxerunt. Pontificum enim eminentia

exter-



externa ex Imperatorum indulgentia dependet, qvod vel sola illa, cum Patriarcha Constantinopolitano de Primatu controversia, ab Imperatore pro Episcopo Romano decisa, ostendit, qvâ ipsâ perpetuo Ecclesiæ Græcæ & Latinæ dissidio satis infelici, jacta sunt fundamenta. Ex alio itaqve fonte suam circa sacra auctoritatem vindicant sibi & Reges & Principes Evangelici: Illi ex ipsius Majestatis visceribus, & huic à DEO injunctâ utriusqve Tabulæ custodiâ; Hi verò ex Jure Majestati analogo, Superioritate videlicet Territoriali, & Regionis & Religionis, necessario qvodam nexu, curam gerunt. Interesse tamen omnino censuerim Evangelicorum Principum, ne repudium mittant illi assertio, unumqvis esse Papam in suo territorio. Latitant enim hīc commoda non levia, qvorum non pauca vel ignorata hucusqve, vel cum provinciæ incommodo minus providè neglecta. Postqvam enim solenni illo Pacis Westphalicæ Instrumento cautum: *Jus Diœcesanum & tota jurisdictio Ecclesiastica CUM OMNIBUS SUIS SPECIEBUS contra Augustanæ confessionis Electores, Principes, Status (comprehensâ liberâ Imperii Nobilitate) eorumq; subditos, tam inter Catholicos & Augustana Confessioni addictos, qvām inter ipsos Augustanae Confessionis Status usq; ad compositionem Christianam dissidii Religionis SUSPENSA ESTO, ET INTRA TERMINOS TERRITORII CUJUSQVE Jus Diœcesanum & jurisdictio Ecclesiastica SE CONTINEAT*, plerique publ. Juris Doctores sufficere censuerunt, si ex illo fundamento, Pontifici in territoriis Evangelicorum Principum nihil juris superesse, defenderent, & ita effectum suspensæ jurisdictionis Papalis remotivè demonstrarent: Verūm qvod eo ipso tota jurisdictio Papalis Ecclesiastica, cum omnibus suis speciebus, Principum Evangelicorum propria sit facta, rariū ostendi solet, qvod tamen manifestissima illius Articuli evincunt verba: *Intra terminos Territorii cujusq;, Jurisdictio Ecclesiastica se contineat:*

¶ 3

Qvo



Qvo ipso evidenter ostenditur, non sublata esse commoda
Jurisdictionis illius Ecclesiasticæ, sed adeò combinata Terri-
toriali fastigio, ut omne emolumentum circa Ecclesiastica,
qvod ante Reformationem Evangelicam sibi vindicaverat
Pontifex, hodiè Principibus Imperii Evangelicis debeatur.
Ast verò, qvot qvantaq; ex hoc redundant commoda, vix
uspiam ostensum. Qvis enim hucusq; Annatarum redi-
tus Principibus nostris asseruit in Capitulis territorio subje-
ctis? Atqvi verò amplissimo hoc lucro gavisus est antea
Pontifex, ipso Pacis Instrumento teste, ut hinc idem meritò
nostris debeatur Principibus. Primarias preces circa præ-
bendarum collationes optimo jure sibi vindicant Principes
aliqvi; Ast provisionum extraordinariarum commoda ne-
gligunt, qvæ tamen, cum Pontifici olim, suffragantibus
etiam Germaniæ Concordatis, competierint, injuriâ dene-
garentur nostris Principibus. Mensium Papalium sive Epi-
scopalius usus in plerisq; adhuc Capitulis Evangelicis ob-
tinet, sed commoda ex Reservationibus circa dictos menses
non attenduntur. Statutorum Capitularium adeò sancta
ubivis observantia est, (qvamvis dolendum, qvod illa
magis concernat redditus pecuniarios, qvam promotionem
cultus divini; hunc enim per vicarios expedire fas est) ut
vix ullum Principis admittatur temperamentum: Atqvi
verò qvis unq; Pontifici denegavit potestatem circa
statuta Capituli dispensandi? Qvis ergò denegaret Princi-
pibus nostris, justâ ratione Capitulorum placita restringen-
di facultatem? Præcipua verò jurisdictionis Ecclesiasticæ
qvondam eminentia fuit, qvòd causæ eò pertinentes nullâ
ratione ad Imperatorem, ne qvidem saluberrimo Appella-
tionis remedio, trahi potuerint. Appellare qvidem in Eccle-
siasticis fas fuit semper; sed non ad alium judicem, qvam
superiorem Ecclesiasticum, vel tandem ipsum Pontificem,

alio-



alioqvi causæ dispendium imminebat ad secularem judicem provocanti : Postqvam verò suspensa jurisdictione Ecclesiastica , & territorii limitibus circumscripta est , prono inde fluit alveo , nullam in causis Ecclesiasticis , & qvæ Canonorum Capitula sive Monasteria concernunt , admittendam amplius esse Appellationem : Non ad Pontificem , qvia hujus , qvoad Capitula Evangelica , suspensa jurisdictione : non ad Imperatorem , qvia ipse de causis Ecclesiasticis cognoscendi facultate , si non jure , certè factō destitutus ; nec summa Imperii Tribunalia unquam his controversiis decidens destinata . Atqvi verò & hæc Principum nostrorum eminentia multis in locis deliqvium passa est , dum illic locorum , ubi aliàs in Civilibus ad Imperatorem appellandi via patet , etiam in causis beneficiorum Ecclesiasticorum sive Canonicatum eò provocari solet , non sine insigni Superioritatis Territorialis detimento . Hæc & alia adhuc emolumenta non levia dependent ex defenso superiori fundamento : Unumqvmvis Principem Evangelicum esse Papam in suo territorio .

Thema hoc , *de Jure Papali Principum Evangelicorum* , nec otiosum , nec à scopo alienum mihi visum est , de qvo verba facerem publicè . Postqvam enim , me nec ambiente , nec exspectante , sed D E O O. M. ita dirigente , **SERENISSIMIS ATQVE POTENTISSIMIS ELECTORIBUS SAXONICO ET BRANDENBURGICO** , Dominis meis longè clementissimis , benignissimè conspirantibus (qvorum animos perpetuo amoris fœderisqve nexu porro jungat summus rerum Arbiter , qvò tantis Germaniae columinibus probè junctis , salva in Imperio stet Res Evangelica) ad Academiam Wittebergensem è Francofurtanâ , post promerita XXV. annorum stipendia , mihi transeundum fuit , qvò locum Viri Summi **B. CASPARIS ZIE.**



QK 11k 4602

ZIEGLERI Jcti Consummatisimi, cui parem in Jure
Canonico ex ipsa antiquitate Ecclesiasticâ enucleando & in-
terpretando non vidi Germania, occuparem, id mihi
commissum esse censeo negotii, ut illas Juris Canonici
partes cupidæ LL. Juventuti proponerem, qvæ non sal-
tem Processui & privatorum litibus componendis infer-
viunt, sed & qvæ Jus publicum, sive statum Imperii Eccle-
siasticum concernunt; qvâ occasione ostendam sub-
inde, quid commodi in nostros redundet Principes,
postquam solenni illo Religionis Evangelicæ Palladio,
Pace nimirum Westphalicâ, Jura Pontificis territoriali
Principum Evangelicorum eminentiæ restituta. Cui insti-
tuto, ut prolixo faveatis affectu, Vos **RECTOR UNIVER-**
SITATIS MAGNIFICE, PERILLUSTRIS DN. BARO, PRO-
CERES OMNIUM FACULTATUM EXCELLENTISSIMI,
MUSARUM DENIQUE CULTORES GENEROSI AC NOBI-
LISSEMI, & qvotqvot porrò Themidi nostræ benè cu-
pitis, eō, qvō decet, cultu, observantiâ & amore, rogo
obtestorqve, futuro Lunæ die, Horâ IX. ante meridiem
in Auditorio Majori, publici munera initium facturo mihi
freqventes adsitis, & de Principum nostrorum eminentia
in Ecclesiasticis dicturum benevolè audiatis. Ego vicis-
sim operam dabo, ut sentiatis, non in ingratum Vos con-
tulisse beneficium, sed mihi nihil fore antiquius, qvam
occasione, de singulis etiam benè merendi, qvæsivisse.

P. P. Dominicâ IV. Adventus, Anno reparatæ
salutis M DC XC.



W

7077

Qvo ipso e
Jurisdiction
toriali fasti
qvod ante
Pontifex,
Ast verò,
uspiam of
tus Princi
ctis? Atq
Pontifex, i
nostris de
bendarum
aliqvi; Af
gligunt, c
etiam Ger
garentur r
scopalium
tinet, sed c
non attend
ubivis ob
magis con
cultus div
vix ullum
verò qvis
statuta Cap
pibus nost
di facultat
qvondam
ratione ad
tionis remo
clesiaisticis
superiorem



esse commoda
nbinata Terri
a Ecclesiastica,
i vindicaverat
elicis debeatur.
mmoda, vix
natarum redi
rritorio subje
visus est antea
cidem meritò
ces circa præ
cant Principes
commoda ne
suffragantibus
, injuriâ dene
lium sive Epi
vangelicis ob
dictos menses
n adeò sancta
n, qvod illa
promotionem
lire fas est) ut
tum: Atqui
statem circa
egaret Princi
ita restringen
Ecclesiasticæ
rtinentes nullâ
rimo Appella
idem in Eccle
dicem, qvàm
n Pontificem,
alio-